

externo, consultum est, ut casus una cum causis dispensandi exacte scribatur alicui procuratori generali, vel cuidam alteri Romæ existenti, qui vel ipse bonus practicus supplicationem juxta stylum Curie debite formet vel ab alio practico formari faciat; quia cum alias difficiles impetratu sint dispensationes in pœnis simoniæ, expedit, ut supplicatio omni meliori modo, et juxta stylum concipiatur ne vel ex hoc defectu gratia denegetur.

346. *Quenam observare debeat executor litterarum dispensationis in pœnis simoniæ?* — Quæritur IV. Quenam observanda sint in executione dispensationis Apostolicæ in pœnis simoniæ pro solo foro interno a Pœnitentiaria datæ? Resp. Esse bene attendendum, et observandum tenorem litterarum dispensationis; in quibus, si circa restitutionem fructuum non dispensatur, injungi solet confessario, ut cum simoniaco antea non dispenset, nisi postquam fructus ex illo beneficio indebite perceptos, in totum restituerit, vel si ob ejus paupertatem in presentiarum non potest, se restitutum promiserit, cum primum poterit, etiam cum aliquali incommodo, et indigentia. Ita Pyrrhus Corradus, loc. cit., cap. XI. Item injungitur, ut priusquam ad dispensationem procedatur, beneficium simoniace obtentum dimittat, et novam provisionem a confessario per S. Congregationem deputato, pro foro conscientie obtineat.

347. *Et quibus verbis, vel qua formula dispensandi uti debeat?* — Cæterum ad absolutionem, et dispensationem a confessario faciendam nulla reperitur certa formula præscripta, unde non refert, qualia exhibeantur verba, dummodo iis satis exprimat, pœnas tolli. Observandum tamen est, quod ad tollendas censuras, et alias pœnas merito adhibeatur verbum: Absolvo, ad tollendam irregularitatem autem, verbum dispenso: sic v. g. sequenti formula rite exequitur confessarius commissam sibi dispensationem:

Misereatur tui, etc. Indulgentiam, absolutionem, etc., uti ante absolutionem sacramentalem. Dominus noster Jesus Christus absolvat te, et ego auctoritate Apostolica, in hac parte tibi concessa, et mihi commissa, absolvo te a quibuscunque sententiis, censuris, et pœnis ecclesiasticis, quas ob simoniæ labem in assecutione talis beneficii ecclesiastici quomodolibet incurristi, item

dispensio tecum super irregularitate, si quam censuris ligatus celebrando contraxisti, teque habilem reddo executioni ordinum et officiorum tuorum, tibi que titulum dicti beneficii restituo, ac fructus ex eo male perceptos condono (si id commendant litteræ dispensationis) teque ad omnes actus legitimos pariter restituo. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

348. *In causis simoniæ solus iudex ecclesiasticus cognoscere potest.* — Quæritur V. Quis sit iudex in causis simoniæ? Quis item accusator, et testis esse valeat? Resp. In his causis solus iudex ecclesiasticus cognoscere, et definitive pronuntiare potest, etiamsi reus sit laicus. Clarus, lib. V, § *Simonia*, n. 7. Pirhing, h. t. n. 142. Abbas, in c. *Cum sit*, 8, de Foro competent. et ibi Glossa, § *Malefactores*, communiter recepta. Ratio est, quia simonia versatur circa objecta spiritualia, consequenter causa spiritualis est; causarum autem spiritualium cognitionem, et sententiæ pronuntiationem ad solos iudices ecclesiasticos pertinere certum est ex c. 2, de *Judic.* et Concord.

349. *Ad accusandum simoniam quivis etiam criminis admittitur.* — Resp. II. Tanta est labes hujus criminis, ut etiam servi erga dominos, et quilibet criminis admittantur ad accusationem. Ita in terminis habetur c. *Tanta*, 7, h. t. Et quidem tam contra dantem, quam contra recipientem aliquid simoniace, arg. c. *Non satis*, 8, h. t.

350. *Facta accusatione accusatus statim suspensus est a celebrandis Missarum solemnibus si de simonia jam est diffamatus.* — Porro quamprimum quis accusatur de simonia, ipso facto est suspensus a celebrandis solemnibus Missarum, c. *Accusatum*, 4, etc. *Quoties*, 5, h. t. (intellige, si jam publice sit infamatus de hoc crimine) alias non, uti bene advertit Glossa, in cit. c. *Accusatum*, h. t. § *Solemnia*.

351. *Contra simoniam quivis etiam alias criminis potest esse testis, dummodo non sit inimicus capitalis rei, nec perjurus.* — Resp. III. Sicut quilibet alias de jure inhabilis, v. g. criminis potest esse accusator, ita etiam testis esse valeat contra simoniam, dummodo non sit capitalis inimicus rei aut conspirator in eum, uti satis clare habetur, c. *Licet Heli*, 31, c. *Per tuas*, 32, h. t. et ibi doctores communiter. Et hoc præcipue verum est, si testis criminis ex crimine suo jam emendatus est, cit. c. *Per tuas*, 32, h. t.

ibi: Præsertim cum testes de crimine fuerint emendati: nisi sit perjurus, hic enim etiam emendatus non amplius admittitur ad testificandum, uti post Glossam, in c. *Per tuas*, h. t. § *Furti*, bene docet Abbas, n. 10. Pirhing, h. t., n. 150, textu satis claro can. *Parvuli*, 14, can. 22, q. 5, et c. *Testimonium*, de *Testib.* Ratio est, quia, qui semel perjurus est, merito timetur rursus perjurare, arg. l. Si cui § 3, ff. de *Accusat.*

352. *Veruntamen testes de jure inhabiles etiam in hac causa sine adminiculis plene non probant.* — Notat tamen bene Abbas, in c. *Per tuas*, h. t., n. 4. Pirhing, h. t., n. 150, quod etsi criminosi admittantur pro testimonio ferendo contra simoniacos, tamen sine adminiculis, vel indicibus aliis plene non probent, arg. cit. c. *Per tuas*, h. t. ibi: *aliis adminiculis suffragantibus*. Plura de testimonio testium alias inhabilium contra simoniacos lege in cit. c. *Licet Heli*, 31, et c. *Per tuas*, 32, h. t.

TITULUS IV.

Ne prælati vices suas, vel ecclesias sub annuo censu aliis relinquunt.

1. *Prælati Ecclesie nequeunt alteri committere suam jurisdictionem pro annuo censu.* — Viso de simonia in genere, succedunt in hoc et sequenti titulo quædam simoniæ in specie, et quidem per rubricam hujus tituli, totumque titulum reprobat certa simoniæ species, quæ olim in quibusdam locis vigebat, dum prælati vices suas, aut episcopi suam jurisdictionem episcopalem aliis sub annuo censu seu pretio exercendam relinquunt, uti consequendo refert Papa c. 1, 2 et 3, h. t., consuetudinemque enormem vocat, ac reprobat: idque merito, quia jurisdictionis episcopalis, et quocunque aliud ecclesiasticum officium est quid spirituale, et propterea pretio conferri nequit absque labe simoniæ, prout amplius diximus tit. præced. a n. 48.

2. *Solvitur objectio.* — Nec obstat, quod episcopus possit, imo et debeat suo vicario generali, seu officiali constituere salarium ex camera episcopali. Resp. enim, aliud esse jurisdictionem suam sub annuo censu sibi præstando, aliis relinquere, aliud vicario generali constituere salarium; quia vicarius recipit salarium per modum stipendii

arg. c. *Charitatem*, 12, q. 1, ibi: Justum namque est, ut illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium: imo pro laboribus temporalibus officio per accidens annexis, etiam per modum mercedis, arg. c. *Quicunque*, 12, q. 2, ibi: Dignus est operarius mercede sua, cum concordantiis.

3. Secus fieret, si episcopus sub annuo censu suam jurisdictionem alteri relinqueret: tum quia eam ex debito sui officii tenetur gratis administrare; tum quia alioquin suam jurisdictionem exponeret venalem. Adde cum Fagnano, in c. *Quoniam*, h. t., n. 8. Quamvis, ut officium ecclesiasticum committatur sub datione pecuniæ, sit illicitum tam ex parte dantis, quam recipientis: nihilominus commissio jam officio licitum est, per modum salarii dare pecuniam ei, cui committitur, idque per jura allegata num. præced.

4. *Redditus ecclesie sub annuo censu bene possunt elocari.* — Verum dictis non obstantibus licitum et neququam simoniacum est, possessiones et redditus Ecclesie sub annuo censu alicui elocare; cum ea res sit mere temporalis. Ita habetur cap. ult. h. t. ubi nomine Ecclesie ad annum censum datæ intelliguntur possessiones seu fructus Ecclesie, ut explicat Glossa, ibid. § *Præfatam Ecclesiam*, alioquin enim decretalis illa contrarietur rubricæ tituli, ac prioribus capitulis.

5. *Pœnæ contravenientium rubricæ tituli.* — Cæterum pœnæ contravenientium huic rubricæ et titulo sunt. I. Quod tam dans, quam recipiens excludantur ab Ecclesia, in cujus contumeliam res data et accepta est, c. *Consulere*, 38, de *Simonia*. II. Qui dat pecuniam pro officio, aut jurisdictione spirituali, tale officium perdit, male autem ita comens amittit conferendi illud potestatem, c. 1, h. t. III. Dans pecuniam removetur a clerico; episcopus vero pro illo conferens spirituales jurisdictionem suspenditur ad tempus pro qualitate delicti, c. 2, h. t. et ibi Glossa, § *Percellatur*. (ADNOTATIO XIII.)

TITULUS V.

De magistris, et ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

1. *Ratio continuationis.* — Duas partes continet rubrica hujus tituli. Prima est de

magistris; et occasione horum secunda est, ne pro licentia docendi exigatur quid temporale; quod, quia speciem simoniæ præ se fert, recto ordine statim hic ponitur post titulos de simonia in genere, et præcedentem de quadam simoniæ specie. Circa primam rubricæ partem.

2. *Magister, quid? convenit cum doctore.* — Quæritur I. Quid hic intelligatur nomine magistri? Resp. Quamvis generaliter loquendo nomine magistri veniat quivis cujusunque disciplinæ præceptor, l. *Cui præcipua*, § 7, ff. *de Verb. Sign.*, tamen ad propositum nomine magistri venit omnis, et solus ille, qui in scientia seu facultate theologica, vel juridica, vel medica, vel philosophica supremum gradum, et insignia legitime fuit consecutus. In quo sensu a doctoribus non distinguuntur, ut bene observat Zæzius in l. *Quidquid*, ff. *de Verb. Oblig.*, et notat Glossa in Clem. 2, h. t., §. *Doctoratus*, per textum ibidem: *Doctoratus et magisterii*. Quod autem quivis ex aliqua dictarum facultatum supremum gradum legitime consecutus, sit et vocetur magister, vel doctor, patet tum ex cit. Clem. 2, h. t., ibi: « Qui in quavis scientia ad doctoratus, vel magisterii assumuntur honorem. » Tum ex aliis juris textibus, in quibus tam theologiæ, quam juris, et medicinæ, ac liberalium artium magistros, et doctores legere est.

3. *In aliquibus locis supremam lauream in theologia consecuti, non vocantur doctores, sed magistri theologiæ. Alibi aliter se res habet.* — Verum quamvis de jure res ita se habeat, consuetudo tamen, et particularia statuta locorum id fecerunt, quod alicubi, ut in universitate Sorboniensi, Lovaniensi, Salamanticensi, ipsaque Curia Romana supremam lauream consecuti in theologia, non doctores, sed magistri in theologia, supremam vero lauream habentes in jure vel medicina, doctores juris civilis vel sacrarum Canonum, vel utriusque juris, et doctores medicinæ vocentur, uti jam dictum lib. IV, in *Appendice*, § 9, n. 441. Alicubi vero, præsertim in universitatibus superioris Germaniæ Ingolstadiensi v. g. Sali-burgensi, etc., omnes in præfatis facultatibus, etiam theologia supremum gradum a seculi ordinariè dicantur doctores juris, vel medicinæ, vel sacrosanctæ theologiæ, etc. Illi autem, qui philosophiæ curriculo confecto supremum in ea gradum adepti sunt, magistri philosophiæ vocentur.

4. *Licentiatii, quid?* — Magistris, et doctoribus affines sunt licentiatii; quorum nomine veniunt illi, qui supremum in aliqua scientia sive theologica, sive juridica, sive medica gradum doctoratus, vel magisterii insignia publice capessendi, quando volunt, licentiam, seu facultatem habent, eo, quod pro talibus post prævium examen non tantum digni judicati, sed ut licentiatii rite et solemniter creati sint.

5. *Baccalaurei, quid?* — Licentiatii paulo inferiores sunt baccalaurei, sive, ut alibi vocantur, baccalarii, vel batallarii, quorum appellatione illi intelliguntur, qui in scientia vel facultate aliqua sui profectus primum testimonium, primumque gradum sunt adepti: quod pro locorum diversitate varie contingit. In celeberrima universitate Ingolstadiensi baccalaurei creantur ad finem primi, vel initium secundi anni philosophiæ. Ex theologia vero ad finem 2, aut initium tertii anni.

6. *Plura sunt privilegia magistrorum et doctorum: veluti I. Quod sint in dignitate constituti.* — Quæritur II. An, et qualia privilegia habeant magistri, doctores, et licentiatii? Resp. Magistros, et doctores tam theologiæ, quam juris sive civilis, sive sacrarum canonum, et medicinæ plura habere privilegia; quorum aliqua brevissime hic adducimus communia omnibus magistris, et doctoribus. Primum est, quod a plebeia, conditione exempti, in dignitate censeantur constituti, arg. c. *Quanto*, 3, h. t., et Clem., 2, eod.

7. *II. Quod æquiparentur nobilibus.* — Secundum est, quod nobilibus annumerentur veramque nobilitatem consequantur, arg. l. 2, § ult. in fine, et l. 4, § 1, in fine ff. *de Excusat.*, l. 1. Quapropter etiam gaudent nobilibus prærogativis, arg. c. *De multa*, 28, *de Præbend.*

8. *III. Quod in conferendis officiis et beneficiis cæteris præferri debeant.* — Tertium est, quod pro doctoribus, et magistris militet præsumptio integritatis ac innocentiae; adeo ut propterea cæteris paribus, illi in assequendis dignitatibus et beneficiis ecclesiasticis præferri debeant, cit. c. *De multa, de Præbend.*, c. *Cum in cunctis, de Elect.* juncto concilio Tridentino, sess. 24, *de Reformat.*, cap. XII.

9. *IV. Quod sint exempti a communibus oneribus.* — Quartum privilegium est, quod exempti sint a muneribus tam realibus, quam

personalibus, textu expresso l. *Medicos*, 6, et l. 11, c. *de Professorib. et medicis*.

10. *V. Quod rei criminis mitius puniantur.* — Quintum est, quod criminum rei mitius puniendi sint, quam plebei, adeoque criminis etiam capitalis suspecti, potius domi aut alio certo loco arresto, quam publico carcere custodiri debeant, aut torturæ præterquam in criminibus exceptis subjiendi, nec pœna treremium, fustibus, laqueo, vel alio ignominiosiori pœnæ genere, sed ultimum supplicium meriti, gladio puniri debeant, arg. l. *Custodim*, ff. *de Custod. reorum*, l. 4, c. *ad Leg. Jul. Majest.* l. *Moris*, 9, § 11, ff. *de Pœnis*, etc.

11. *VI. Doctores et magistri actu docentes præter allegata, adhuc specialia habent privilegia.* — Præter enumerata cunctis magistris, et doctoribus communia privilegia, magistri et doctores, professores, id est, qui actu docent in aliqua Academia, habent adhuc specialia privilegia, inter quæ principale est, quod, dum theologiam, vel jus canonicum docent, etiam absentes percipiant fructus beneficii, juxta dicenda infra, n. 14.

12. *In favorabilibus nomine doctorum veniunt etiam licentiatii, et gaudent illorum privilegiis.* — Resp. II. In favorabilibus nomine doctorum, et magistrorum veniunt etiam licentiatii, ita, ut etiam illorum privilegiis supra enumeratis fruatur. Alcatus, in l. *Cui præcipua*, ff. *de Verb. Sign.* Leander, *de Privileg. doctor.*, p. 4, num. 11, et alii. Ratio est, quia privilegia doctoribus et magistris conceduntur principaliter ob excellentem, et legitime approbatam eorum doctrinam bono communi servientem; et non propter illam solemnitatem, et ceremonias, quibus doctores inaugurantur; consequenter, cum licentiatii illam etiam habeant, etsi ista careant, eorundem privilegiorum merito participes reputandi sunt: præsertim, cum licentiam et facultatem proximam habeant; statim, si volunt, supremam doctoratus lauream accipiendi, illaque digni jam sint declarati, ac per consequens eis serviat illud juris: Proxime accingendus habetur pro accincto, l. penult. ff. *de testam. milit.* Hinc concilium Trident. in assequendis dignitatibus, ac beneficiis, licentiatos æquiparat doctoribus, sess. 22, *de Reformat.*, cap. II, et sess. 24, *de Reform.*, cap. XII, et alibi; ac optima legum interpret consuetudo id habet, quod si alicubi ad collegium ordinem, vel dignitatem aliquam vi statuti

requiritur doctor, licentiatius quoque admitatur.

13. *Excepta executione litterarum apostolicarum.* — Limitatur tamen conclusio in executione litterarum Apostolicarum, quas doctori, vel magistro inscriptas aperire, et exequi non potest licentiatius per dicta, lib. IV, in *Appendice*, § 9, num. 442 et 443.

14. *Actuales professores theologiæ, vel philosophiæ percipiunt fructus grossos beneficiorum suorum, etiam quando causa docendi absunt.* — Quæritur III. Quale privilegium ratione perceptionis fructuum beneficii specialiter competat doctoribus et magistris, ac docentibus theologiam, vel jus canonicum, seu professoribus theologiæ, ac juris canonici, necnon studentibus hujusmodi facultatibus? Resp. I. Qui actu docent theologiam, vel jus canonicum in aliquo studio generali, vel universitate, percipiunt fructus sui, quod habent, beneficii ecclesiastici, etiam tempore, quo causa docendi absunt; etiamsi per plures annos absessent. De professoribus theologiæ res certa est ob claram juris dispositionem, c. *Super specula*, 5, h. t., § *Ducentes*, confirmatam a concilio Trident., sess. 5, *de Reformat.*, cap. I. De professoribus autem juris canonici docent Sylvester, §. *Residentia*. Felinus, in cit., 5, h. t., num. 2, et ibidem Abbas, num. 6, et Fagnanus, num. 4, dicens, ita sæpius declaratum fuisse a sacra Congregatione. Ratio hujus privilegii est, quia beneficiarii quicumque, æque, imo magis possunt Ecclesiæ cultumque divinum augere, si docendo absunt, quam si in beneficio resident.

15. *Si docent in studio generali, seu universitate.* — Dicitur autem notanter in studio generali, seu universitate aliqua. Professoribus siquidem in tali studio non docentibus, dictum privilegium minime competit, prout declaravit sacra Congregatio teste Garzia, *de Benefic.*, p. 3, cap. II, num. 55, ubi num. 60, addit, memorato privilegio tamen gaudere professores in universitatem docentes, etiamsi ibidem nullum habeant stipendium, nec sint conducti mercede, sed voluntarie doceant, dummodo id faciant cum facultate seu licentia universitatis sive collegii doctorum.

16. *Distributiones tamen quotidianas non nisi in certis casibus percipiunt.* — Resp. II. Professores theologiæ, sive juris canonici, quamvis causa docendi absentes percipiant fructus grossos suorum beneficiorum, dis-

tributiones tamen quotidianas non percipiunt, Glossa communiter recepta, in c. fin., h. t., §. *Integre*, textu claro, c. *Licet*, 22, de *Præbend.* ibi: « Nolumus tamen, ut quotidianas distributiones, quæ tantum residentibus in ecclesiis, et his, qui intersunt horis canonicis ei (magistro videlicet theologiam docenti) tribui facias, » nisi forsan redditus omnes in distributionibus quotidianis consistenterent; tali enim in casu saltem duas partes reddituum perciperent, tertia parte accrescente præsentibus, uti ex declaratione cardinalium bene refert Garzia, de *Benefic.*, p. 3, cap. II, num. 351. Fagnanus, in c. ult., h. t., num. 2 et 3, vel nisi alicubi contrarie vigeret consuetudo, Glossa, loc. cit. Moneta, p. 2, de *Distribut.*, cap. x, n. 28, vel denique nisi ad id concurrat, quod diximus lib. II, tit. IV, de *Clericis non resident.*, n. 215.

17. *Studentes quoque theologiæ, vel juri canonico in absentia percipiunt fructus beneficiorum.* — Resp. III. Non tantum actualiter docentes theologiam, vel jus canonicum, sed etiam studentes eidem, in absentia percipiunt fructus suorum beneficiorum, saltem per quinquennium. Conclusionem hanc amplius declaratam, et probatam habes lib. III, tit. IV, de *Clericis non resident.*, § V, fere per totum, ubi vide.

18. Circa secundam partem hujus rubricæ quæritur IV. Utrum illicitum, simulque simoniacum sit, exigere aliquid pro licentia docendi? Resp. I. Graviter prohibitum, consequenter illicitum est, exigere aliquid pro licentia docendi, etiamsi in contrarium vigeat consuetudo. Unanimis et certa, claris juribus, c. 1, 2 et 3, h. t. Transgressores tenentur ad restitutionem perceptorum appellatione postposita, cit. c. 2, h. t., et puniri jubentur privatione officiorum ac beneficiorum, c. 1 et c. *Quanto*, 3, h. t., ubi ratio conclusionis redditur, cit. c. 2, h. t., ex *Matth.*, cap. x: « *Gratis accepistis, gratis date.* »

19. *Exigere aliquid pro licentia docendi est illicitum.* — Resp. II. Quamvis illicitum sit, et improprie seu large loquendo simoniacum dici possit, tamen stricte, et proprie loquendo non esse simoniam, pro licentia docendi aliquid exigere. Fagnanus, in c. 1, h. t., num. 12. Gonzalez, in c. *Quia nonnullis*, 4, h. t., n. 6, in fine. Suarez, de *Simonia*, cap. XVIII, num. 15. Engel, h. t., num. 8, post Glossam, in c. 1, h. t., §. *Consuetudinis*, ubi ait « *Quasi simoniacum reputatur hoc.* »

Nam dictio quasi regulariter est nota improprietas. Ratio conclusionis est, quia professura seu traditio doctrinæ nec in se est quid spirituale, sed officium mere temporale, nec dirigitur ad actus, qui per se spirituales seu supernaturales sunt; quamvis se habeant ad instar spiritualium, eo quod entitative sint spirituales, utpote subjectati in intellectu tanquam potentia spirituali.

20. *Et improprie, non tamen stricte simoniacum.* — Nec obstat, quod scientia sit donum Dei, arg. c. *Revertimini*, § *Si quis doctus*, 16, q. 1, adeoque tanquam res spiritualis non videatur posse vendi scientia, aut etiam licentia docendi absque simonia. Resp. enim scientiam esse quidem donum Dei, non tamen semper esse donum supernaturale: sicuti etiam sanitatis, vires, et artes sunt a Spiritu sancto, et donum Dei, non tamen supernaturale.

21. *Solvitur objectio.* — Quæritur V. An sit simoniacum, vel saltem illicitum, exigere vel accipere aliquid pro ipsa lectione SS. Scripturæ, professura, theologiæ, philosophiæ, et aliarum scientiarum? Resp. I. Certum esse, quod pro opera et labore tradenti, scientias naturales, v. g. philosophiam, grammaticam, medicinam licitum sit, et nullatenus simoniacum, exigere temporale etiam per modum pretii: quia hujusmodi doctrina non est res supernaturalis, et consequenter neque labor in ea procuranda impensus.

22. Quinimo potest æstimari pretium non solum ex labore, qui ponitur in studendo et erudiendo alios, sed etiam ex sublimitate rei ac veritatis, ad quam inducit: nam quamvis sic veritas intellectus videatur vendi, saltem indirecte (proprie enim venditur labor magistri, ut utilis ad gignendam in intellectu discipuli veritatem) ea tamen veritas est pure naturalis; neque a Spiritu Sancto per donum supernaturale, sed naturale tantum, prout etiam sanitas, vires, artes sunt a Deo.

Nec obstat, quod dicitur *Proverb.*, XXIII: « *Noli vendere sapientiam, et doctrinam, et intelligentiam,* » et *L. 1*, § 5, ff. de *Extraord. cognit.*: « *Est res sanctissima civilis sapientia, sed quæ pretio numerario non sit æstimanda, nec dehonestanda.* » Resp. enim, textum Scripturæ loqui de scientia infusa, uti interpretatur S. Thomas: per textum autem juris civilis tantum commendari, scientiam, ne vilipendatur.

23. *Pro actuali lectione, seu professura*

profane scientiæ aliquid per modum pretii accipere, non est simonia. — Resp. II. Certum etiam est, pro lectione seu traditione S. Scripturæ, theologiæ, ac hujusmodi, non tantum dari et accipi, sed etiam exigi posse justum stipendium seu salarium. Patet hoc ex tit. præced. Utrum autem per modum pretii quid exigi possit, quæstio manet, pro qua.

24. *Pro actuali lectione sacræ scripturæ, seu theologiæ potest aliquid accipi per modum stipendii. Et pro aliquibus illius actibus etiam per modum pretii.* — Resp. III. Pro quibusdam actibus theologiæ pretium accipi potest, pro quibusdam non. Ita Lessius, lib. II, de *Just. et jur.*, cap. xxxv, dubit. 13, hoc modo facile concordans doctores, cæteroquin in hac materia non adeo convenientes. Ratio est, quia theologia potest considerari secundum quatuor functiones. Primo ut tradens doctrinam Evangelicam. Secundo, ut dat responsa ad pacandas conscientias. Tertio, ut ex sacris doctoribus interpretatur divinas Scripturas. Quarto, ut ex principiis fidei deducit conclusiones, sive necessario, sive probabiliter, prout fit in theologia speculativa, quam scholasticam appellant.

25. Pro 1, igitur et 2, actu pretium exigere, est simoniacum, ut fatentur passim doctores; quia hi actus immediate referuntur ad fidem, spem, et charitatem, aliosque actus supernaturales, ut proin etiam concionatores, catechistæ, confessarii pro doctrina, quam impertiuntur, nil exigere valeant per modum pretii, bene vero per modum stipendii. Pro 3 et 4 actu licitum esse, accipere pretium, tenet Lessius, loc. cit. et communis doctorum apud Laymanum, lib. IV, tract. X, cap. ult. n. 30. Probatur hoc ex eo, quia in actu docendi theologiam, vel explicandi Scripturas, non habetur ratio assensus supernaturalis, sed solum suppositis fidei revelatæ propositionibus fit instructio, mediante qua possit discipulus ex propositionibus revelatis discurrere, et inferre non revelatas: unde sic eam speculando est scientia mere naturalis acquisita, ac potest dari in hæreticis.

26. *In ecclesiis metropolitanis, cathedralibus et collegiatis erigendæ sunt scholæ pro erudienda juventute.* — Quæritur II. Quid adhuc disponatur in hoc titulo? Resp. Inter alia præcipi, ut in ecclesiis metropolitanis, cathedralibus, et collegiatis exigantur scholæ pro erudienda juventute tam in inferioribus,

quam theologia, ut patet ex c. 1, et c. *Quia nonnulli*, 4, h. t. ubi etiam mandatur, ut idonei ad hunc finem deputentur magistri, seu professores, eisque assignetur debitum salarium, seu stipendium, ita, ut cuivis etiam grammatices magistro detur una integra præbenda, seu id totum, quod redditur, seu proventus unius canonicatus efficit.

27. *Professoribus theologiæ assignanda est integra præbenda, canonicatus, grammatices professori vero debitum stipendium.* — Totum hoc confirmatur a concilio Tridentino, sess. 5, de *Reformat.* cap. 1, hæc tamen cum distinctione, et nova dispositione, quod non tantum in metropolitana (uti statutum erat jure communi c. *Quia nonnulli*, 4, h. t.) sed etiam in quavis ecclesia cathedrali constituatur unus magister, seu professor theologiæ, eique integra præbenda, seu redditus canonicatus modo ibidem specificato assignentur. Magistro grammatices vero, vel fructus alterius simplicis beneficium, vel de mensa episcopali, aut capitulari condigna merces seu salarium constituatur.

28. *Seminarium in quavis diœcesi erigi debet, et quomodo?* — Huc pertinet etiam dispositio concilii Tridentini, sess. 23, de *Reformat.* cap. XVIII, de erigendo in quavis diœcesi seminario. De quo ipsam Tridentini dispositionem intellectu facilem, et prolixam lege loc. cit. Vide etiam de hoc Fagnanum, in cit. c. *Quia nonnullis*, 4, h. t. (ADNOTATIONES XIV, XV et XVI.)

TITULUS VI.

De Judæis, et Saracenis, et eorum servis.

1. *Tres sunt species infidelitatis, paganismus videlicet, judaismus et hæresis.* — Viso de simoniacis, qui Spiritum S. vendendo per simoniam blasphemant, pergunt compiler ad eos, qui in Deum, ejusque Unigenitum Filium Jesum Christum per infidelitatem peccant. Tres autem sunt species infidelitatis, ut post D. Thomam 2, 2, q. 10, art. 5, notant communiter theologi, paganismus videlicet, judaismus, et hæresis. De hac ultima in sequenti, de duobus prioribus vero in præsentis titulo erit quæstio.

2. *Judaismus et Judæi, quid, ac unde se*